



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 12. Jacobi Cantelmi Cardinalis fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

## §. XII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1702.*Jacobi Cantelmi Cardinalis fata.*

Hunc paulo post morte sequebatur Jacobus Cantelmus patria Neapolitanus ex Ducali Principum Popoliensium genere satus. Hic militiæ Sacræ dicatus, atque omnibus scientiis huic statui congruis uberrime excultus, patrocinate Francisco Barberino Cardinale Romam evocabatur, ubi Romanis Prælati accensitus, virtutum ac meritorum fama Odescalchi Cardinalis amicitiam sibi conciliabat, a quo, quamprimum sub Innocentii XI. nomine Petri Cathedram conscenderat, pinquissima S. Antonii Abbatia auctus, per plures annos Melitæ Inquisitoris munere fungebatur: Inde reversus Venetam, Helveticam & Polonicam legationem obibat, atque ab Alexandro VII. ad Josephi Romanorum Regis inaugurationem Augustam Vindelicorum decretus, ab eodem Pontifice Romanam Purpuram, & Capuanum Archiepiscopatum obtinuit: Mortuo autem hoc Pontifice Innocentius XII. ejusdem Successor Cantelmo Neapolitanum Archiepiscopatum cessit, cui etiam Ecclesiæ hic Cardinalis per undecim omnino annos præfuit, & gravissimas pertulit mole-

*Vid. supra*  
*l. 211. §. 24.*  
*pag. 73.*



Sæc. XVII. molestias, exorto sæpius Procerum,  
A. C. 1702. populique tumultu contra S. Inquisitionis tribunal, uti supra memoravimus; Collidebatur insuper cum ipso summi Pontificis Nuntio propter Regium Monasterium sanctæ Claræ: Postremo quoque vitæ suæ anno minus sibi propitium experiebatur summum Pontificem; cum enim Andegavensem Ducem primus Neapoli tanquam legitimum Hispanicæ Monarchiæ hæredem, ac Neapolis Regem proclamaret, eique tecto capite ipsius S. Evangelium deosculandum præberet, imo etiam prandenti aquam lavandis manibus affunderet, id tanquam præcox, nimisque abjectum obsequium Cardinalitio honore indignum a Papa, & Purpuratorum Collegio habebatur, quapropter a summo Pontifice objurgatus, declarare coactus est, hoc obsequii genus deinceps Cardinalitiæ dignitati nequaquam noxæ fore: Hæc tamen submissio Cantelmum minime ab Aulicorum insectatione immunem reddiderat; cum enim Escalonæ Dux Neapolitani Regni Prorex quemdam Austriacis partibus addictum vi ex Ecclesia extrahi jussisset, Cantelmus læsam immunitatem vindicans, Proregem, cunctosque hujus violentiæ participes diris devovit, ipso summo Pontifice potius Cardinalis, quam



quam Proregis causſæ patrocinate: Sæc. XVII. A. C. 1702.  
 inde vero Dux ira commotior, Cardinalem tanquam juratum Hispaniæ hostem apud Regem accusavit, tantumque effecit, ut Cantelmus Regiæ indignationis severitatem declinaturus Neapolin deserere statueret; priusquam vero suum exequeretur propositum, Monialem, Machiæ Principissam, quæ cum sua Sorore in eodem Asceterio capitali odio dissidebat, armata vi ex monasterio rapi, atque in aliud detrudi iussit, inde vero, aliisque ex causſis tam fatale sibi facessivit negotium, ut tædio consumptus, die undecima Decembris inopina morte decederet, postquam sexagesimum ætatis suæ annum emensus erat.

§. XIII.

*Clementis XI. summi Pontificis collisio cum Cæsare.*

Principum de Hispanica Monarchia Lettr. Hist. Mars  
 contendentium dissidia haud parum pag. 236.  
 Clementis XI. Pontificatum aggravabant; quamvis enim communis Patris Vit. Clem. XI. tom. 1. pag. 381.  
 officia palam adimplere, summopere sollicitus esset, eorum tamen, qui alterutrius partis commoda præcipue circa Neapolitanum Regnum Sedi Apostolicæ clientelari jure obnoxium promovere  
*Hist. Eccles. Tom. LXVII.* D cer-